


I

NOS

FRATER DOMINICVS
VILLAVECCHIA
ORDINIS PRÆDICATORVM
HVMILIS
MAGISTER PROCVRATOR
ET VICARIVS GENERALIS
VNIVERSIS
ET SINGVLIS PRÆSENTES
LITERAS INSPECTVRIS
SALVTEM IN DOMINO
SEMPITERNAM

EXPOSCIT iuſtitiæ ratio, ut virtutum merita, ſuſceptique in comparandis Scientiis labores & præſertim in illa addiſcenda, qua Fides ſaluberrime gignitur nutritur, defenditur, ac roboratur iis compenſentur honoribus & Gradibus, qui a Summis Pontificibus pro decore & utilitate Sanctæ Matris Eccleſiæ ſunt

instituti Cum itaque Per Illustris Clarissimus ac Excellentissimus Dominus Magister IOSEPHVS ALOYSIVS PONTANOWICZ AA·LL· & Philosophiæ in Vniversitate Cracoviensi Doctor Ejusdemque & Matheseos Gremialis Professor Ecclesiæ Collegiatæ Sandecensis Primicerius Sacræ Regiæ Majestatis Polonæ Secretarius, Privilegiatus Mathematicus Regius & Iuratus Geometra rigoroso Examine super Theologicis Thesibus sibi assignatis pro Laurea Theologali consequenda a RR·admodum PP·Moderatoribus, ad id specialiter a nobis deputatis, per vota secreta fuerit unanimiter approbatus; ideoque ad dictam Lauream consequendam idoneus, dignusque judicatus Idcirco nos tenore præsentium, & Apostolica Auctoritate nobis specialiter concessa prædictum Per Illustrem Clarissimum ac Excellentissimum Dominum Magistrum IOSEPHVM ALOYSIVM

PONTANOWICZ AA.LL. &
Philosophiæ in Vniversitate Cracoviensi Doctorem &c. qui apud nos de probitate vitæ, ac morum honestate fide digno commendatur testimonio, ad Gradum Doctoratus in Sac. Theologia promovemus & promotum declaramus Doctorumque Collegio adscribimus & incorporamus, quemadmodum Rev. P. Magister Fr. Antonius Cienfuegos Collegii S. Thomæ de Vrbe Regens nomine nostro deque aliorum Moderatorum consensu, post præmissam solemnem Fidei professionem, & post præstitum iuramentum de sequenda Angelica Doctrina S. Thomæ Aquinatis eumdem promovit adscripsit & incorporavit per dationem Annuli, & impositionem Bireti; Dantes Ei Facultatem ascendendi Cathedram Magistralem legendi glossandi, interpretandi & omnia alia solemniter peragendi, quæ Summo huic Gradui convenire possunt Decernentes insuper eumdem Per Illustrem Clarissimum ac Excellentis-

ſimum Dominum Magiſtrum IOSEPHVM ALOYSIVM PONTANOWIEZ. AA. LL. & Philoſophiæ in Vniverſitate Cracovienſi Doctorem &c. ad Gradum Doctoratus in Sacra Theologia promotum, eiuſdemque Gradus Inſignibus decoratum vigore Enunciatæ Auctoritatis Apoſtolicæ frui & potiri debere & poſſe omnibus & ſingulis Privilegiis, Immunitatibus, Exemptionibus, Libertatibus Fauoribus Gratiis, Iuribus, Dignitatibus, & Præeminentiis, quibus alii Doctores in Accademia Romanæ Sapientiæ, Salmantica Complutenſi, Pariſienſi, aut alia quacumque Vniverſitate promoti gaudere conſue verunt. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. In quorum Fidem præſentes Literas per Secretarium præfatæ Scholæ; nec non per Notarium Publicum ad id ſpecialiter electum Subſcribi & Sigillo eiuſdem Collegii munire mandavimus. Datum Romæ in Collegio S. Thomæ Aquinatis

apud S. Mariam supra Minervam die XX. Men. Aprilis. Anno Incarnationis Dominicæ MDCCLXII.

Reg. pag. 222.

Fr. Vincentius M.ria Corona Ord. Praed. Lector Moralis et Secretarius.

Ego Fran.cus Martorellus Caus. Curiæ Cam.ae Ap.licae Notarius praesens Privilegium subscripsi et publicavi hac die 7. Junij 1762

